

quam ille solus vel saltem cum reprobo facile implere potest per auxilium speciale, et tamen non implet; ergo.

R. N. A. Observa hic discrimen esse inter voluntatem *absolutam* et *seriam*; prior enim vult objectum suum omni modo et sine ulla limitatione, adeoque non tenetur duntaxat ad media praestanda, quae sufficiunt ad illum finem assequendum aut objectum ponendum, sed et ad ea, quibus certo ac infallibiliter obtineatur finis seu ponatur objectum: posterior autem habetur etiam, si velit finem vel objectum certo quodam modo et sub aliqua conditione, ut patet tum in pluribus volitionibus humanis, tum ex eo quod, posita conditione vel modo, sequatur ipse effectus et finis; adeoque obligatur quidem ad ponenda media, que ad ipsam spectant, sufficientia, quibus potest et poni conditio et obtineri finis, non autem ad ea, quibus absolute ac infallibiliter obtineatur. His suppositis

Ad prob. 1^{am}. N. vel D. M. Deus non potest serio velle, quod praescit non esse futurum ex defectu se tenente ex parte sui C. ex defectu se tenente ex parte alterius subd. non potest serio velle voluntate absoluta et consequente C. voluntate conditionata et antecedente N.

Ad prob. 2^{am}. Rursus N. vel D. M. Si Deus serio vellet voluntate absoluta omnium salutem, deberet dare media quae per scientiam medium praevideat efficacia C. si serio velit voluntate solum conditionata N. Eadem responsio tenet in paritate allata, si quidem medicina non praevideatur nil profutura ob inefficaciam ex ipsa medicinae *natura* provenientem, sed ex ægri voluntate medicinam hanc applicare nolentis. Praeterea *disparitas* est, quod sanitas non detur ægrò per modum præmii, atque hinc medicus non debeat attendere libertatem ejusdem, et vel ex contractu cum ægro aut republica, vel ex charitate teneatur ad medicinam absolute profuturam: e contra cum Deus saltem adultis det salutem per modum præmii, debet attendere ad meritum et libertatem; ac præterea ex nullo titulo tenetur ad danda specialia et efficacia auxilia, sed duntaxat ad ordinaria et sufficientia.

Ad prob. 3^{am}. R. *quoad 1^{um}.* memb. N. min. quia perseverantia finalis ex alibi dicendis vel formaliter habetur vel saltem dependet a cooperatione libera, quae poni debet a creatura: *Quoad 2^{um}.* memb. D. M. Non censetur serio velle omni modo et sine ulla limitatione effectum, qui eumdem sub conditione vult, quam cum alio facile implere potest et tamen non implet C. non censetur serio velle certo quodam modo et sub certa limitatione N. Alii subd. qui eumdem effectum vult sub conditione, quam cum alio facile et æque connaturaliter implere potest, nec tamen implet T. quam non potest æque connaturaliter implere N. Deus juxta hoc nec ut conservator naturæ nec ut auctor libertatis potest æque connaturaliter reprobis dare auxilia specialia, quia ut talis ea dat secundum opportunitatem temporis et aliarum circumstantiarum seu cursum causarum secundarum, cui connaturalia sunt auxilia ordinaria non autem specialia: unde licet hæc reprobis nolit dare, vult tamen illos serio salvos fieri per auxilia ordinaria seu connaturaliter dabilia.

Inst. 2. Licet Deus habeat voluntatem antecedentem et conditionatam puniendi omnes homines, si in peccato decederent, tamen per hoc non dicitur serio velle omnes homines punire; ergo, licet habeat voluntatem antecedentem et conditionatam salvandi omnes homines, tamen vel per hoc non

debet dici serio velle omnium salutem, vel saltem non recte dicitur habere specialem et majorem affectum homines salvandi, quam damnandi; præser-tim cum alias etiam diei posset serio velle salutem dæmonum et damnatorum.

R. Tr. *Supp. Aut.* Quia voluntas puniendi homines proprie non est antecedens, cum necessario præsupponat culpam non minus ac ipsa poena; et N. Cons. *Disparitas* est, quia Deus salutem hominum ita vult conditionate, ut etiam conditionem seu opera bona fieri desideret, et ad ea det auxilia: e contra punitionem sic vult, ut ejus conditionem seu opera mala nullo modo desideret, sed potius illa prohibeat, et per comminationem poenarum homines ab illis deterreat. Ad id quod additum est de *dæmonibus* ac *damnatis*, discrimen est, quod Deus tantum habeat affectum aliquem complacentie circa salutem dæmonum, et damnatorum ut possibilem, non autem voluntatem beneplaciti actuosam; unde nec circa eorum salutem aliquid operatur, utpote cujus illi incapaces sunt tanquam in termino constituti et obfirmati in malo, et que non jam amplius rationem habet boni appetibilis, quia non est consentanea divinæ justitiae: contraria omnia reperiuntur in salute viatorum et voluntate tum ad illam tendente tum media sufficientia prævidente.

ARTICULUS III.

AN EADEM PROVIDENTIA SUPERNATURALIS PERTINEAT AD INFANTES SINE BAPTISMO MORIENTES?

196. Movetur controversia præser-tim de infantibus illis, quibus, sive in utero materno vi solius naturæ morientibus, sive in lucem editis, nulla humana diligentia baptismus applicari posse videtur. Circa hanc non minus varia est tum errantium tum opinantium classis. 1^a. Est eorum qui negant dari in Deo voluntatem etiam *antecedentem* salvandi hos parvulos; sive quod universum voluntatem illam generalem cum hereticis inserviant; sive quod hanc restrinant ad adultos; sive quod eam quidem concedant circa salutem in se spectatam, non autem ut consideratam in circumstantiis divinorum attributorum, vi quorum nempe contendunt Deum velle salutem quibusdam infantibus ad misericordie sue ostensionem, aliis eam nolle ad justitiam suam manifestandam. 2^a. Eorum qui voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes parvulos hac tantum ratione admittunt, quatenus Deus paravit et in Ecclesia posuit baptismum seu medium salutis pro parvulis; quin tamen serio voluerit applicari baptismum, aut sufficienter de mediis providerit quibus applicari queat baptismus. 3^a. Eorum qui etiam hanc in Deo voluntatem applicationis et sufficientem provisionem statuunt, eam tamen dicunt dependere a *causis naturalibus* et *necessariis*; quatenus Deus serio vult applicari baptismum, nisi vel ubi non obstat cursus naturalis causarum secundarum, propter quem vel infans prius moritur, vel alii impediuntur quo minus succurrant. 4^a. Denique est eorum qui eamdem voluntatem dicunt dependere a voluntate aliena seu *causis liberis*. Volunt hi etiam, positis rebus ut nunc sunt, et supposito causarum naturalium cursu divinitus constituto, nullum ex parvulis, qui pereunt, esse qui non potuerit ad baptismum pervenire, nisi obstisset, vel si posita fuisset aliqua actio causarum liberarum. Porro inter eosdem nonnullum est discrimen; aliqui enim pro



causis liberis, a quarum voluntate parvulorum salus dependeat, assignant dumtaxat parentes, eosque omnes quibus proxime cura parvulorum commissa est; alii etiam adultos alios quoscumque: similiter quidam pro actione quae ponenda vel omittenda est, designant orationem vel carentiam orationis pro parvulis; alii opus quocumque supernaturale vel etiam rectum usum libertatis, aut quamcumque culpam moralem, etiam negligentiae vel imprudentiae.

197. *Dico I.* Deus voluntate vera antecedente vult salutem etiam infantium omnium.

Prob. Deus vult omnes homines salvos fieri: sed in hac voluntate includuntur etiam parvuli; tum quia nulla est ratio excludendi parvulos ab illa propositione universalis: tum quia ex sententia S. Aug. in illa omnino includuntur, qui L. 4. cont. Julian. c. 8. n. 42. ait: *Numquid (parvuli) homines non sunt, ut non pertineant ad id quod dictum est, vult omnes homines salvos fieri?* ergo. *Conf.* Deus vult eos fieri salvos pro quibus Christus est mortuus: sed Christus etiam pro parvulis omnibus est mortuus; ut patet, si invertatur argumentum S. Pauli, quod proponit 2. ad Cor. 5. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt:* tum ex testimonio S. Aug. qui L. 1. de remiss. pecc. c. 18. n. 23. inquit: *Sine ista ergo regeneratione salvos in aeternum posse parvulos fieri, quis audeat affirmare? tanquam non pro eis mortuus sit Christus;* ergo.

198. *Nec dicas 1º.* Apostolus non praeceps dicit: *vult omnes homines salvos fieri;* sed continuo adjungit: *et ad agnitionem veritatis venire;* ergo sicut postremum non extenditur ad omnes infantes, cum multi moriantur ante rationis usum; ita nec prius extendendum est. 2º. S. Aug. in ep. 407. (al. 217, n. 19.) sic ait: *Multi salvi non sunt, non quia ipsi, sed quia Deus non vult; quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis.* 3º. S. Prosp. in resp. ad 4º. object. Vincent. ait: *Insanum omnino et contra rationem est dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri:* sed si Deus haberet voluntatem salvandi parvulos antecedentem, et tamen postea non salvaret, Dei voluntate consequenti hoc eveniret; ergo.

Ad 1º. R. D. Ad parvulos non extenditur secundum, si per agnitionem veritatis intelligatur regnum Dei N. Si intelligatur fides subd. si intelligatur fides habitualis N. actualis C. S. Aug. sepe ait, *credere habitu, esse venire in veritatis agnitionem,* unde cum Deus intendat parvulis baptismum, ubi habitus supernaturales infunduntur, et vitam aeternam, quae stat in visione Dei, hoc ipso vult eos venire ad agnitionem veritatis. Deinde N. Cons. Quia quamvis secundum non extendatur ad parvulos, qui accepto baptismo moriuntur ante usum rationis; tamen, quia isti salvantur, omnino ad eos extenditur primum; ergo similiter ad alios, qui moriuntur ante baptismum, extendi potest. Praeterea *disparitas* est, quia parvuli sunt capaces consequendae salutis etiam ante usum rationis per regenerationis Sacramentum; non autem hac aetate capaces sunt veniendo ad agnitionem veritatis actualiem: unde patet, quod juxta diversitatem capacitatis subjectorum proportionate accipi debeat Apostoli sententia.

Ad 2º. R. C. 1º. p. A. Cum enim parvuli non sint capaces volendi aut

nolendi, non quia ipsi nolunt, salvi non sunt. 2º. p. D. Multi parvulorum salvi non sunt, quia Deus non vult voluntate antecedente N. quia non vult voluntate consequente C.

Ad 3º. D. M. *Insanum* est dicere, Dei voluntatem absolutam et consequentem non fieri ex voluntate Dei C. voluntatem conditionatam et antecedentem subd. non fieri ex voluntate Dei, quae ipsa non ponat conditionem a qua prior dependebat C. non fieri ex voluntate Dei, quae tantum sequitur ad conditionem aliunde non positam a qua prior dependebat N.

199. *Dico II.* Deus etiam antecedente voluntate vult infantibus omnibus applicari baptismum, seu de mediis proxime vel remote sufficientibus prouidit, queis infantibus queat applicari baptismus.

Prob. Qui serio vult finem, necessario etiam, quantum est *ex se*, debet velle medium absolute necessarium ad finem consequendum; quia seria voluntas hic sumitur pro sincera et actuosa, non autem pro inerti et otiosa, quae est mera velleitas: sed Deus serio vult salutem parvolorum, et ad hunc finem consequendum applicatio baptismi est medium absolute necessarium, quia hic supponitur Deum non aliter velle parvolorum salutem quam per baptismum; ergo.

Conf. Juxta S. Prosp. L. 2. de voc. Gent. c. 12. Christus est salvator omnium hominum, qui dat omnibus, unde salvari possint, et in resp. ad 1º. obj. Vincent. Deus praecepit omnibus Christi passionem applicari; ergo cum parvuli per solum baptismum salvari possint et iis passio Christi applicari, Deus vult etiam ut applicetur baptismus.

200. *Nec dicas 4º.* Mercator projiciens merces ob timorem naufragii, nullum medium adhibet ad illas servandas, et tamen serio ac ardenter desiderat conservationem; ergo seria intentio salutis parvolorum in Deo potest etiam stare sine provisione mediorum sufficientium, queis baptismus applicetur. 2º. Seria voluntas Dei salvandi parvulos satis defenditur, si ostendatur mors parvuli spiritualis esse mere permitta a Deo eique involuntaria: sed dum dicitur a Deo baptismum in Ecclesia esse pro omnibus institutum, applicationem tamen impediri v. g. a causis naturalibus, quas Deus ob fines altiores non vult inverttere, illud ostenditur; ergo. 3º. Potest eadem voluntas seria recte salvari per sufficientiam Adamo datam ad perseverantium in justitia originali; ergo non requiritur ut de facto Deus omnibus parvulis provideat de his mediis.

Ad 4º. R. N. *Cons. Disparitas* est, quia mercatori supponitur nullum adesse medium ad servandas merces; ergo sincere voluntati ejus non obstat quod nullum adhibeat: constat autem Deo praestō esse media sufficientia. Hinc etiam *invertitur argumentum*: si mercator haberet medium ad merces servandas sufficiens, nec tamen adhiberet, mercium conservationem serio velle negaretur; ergo Deus non censendus est serio velle salutem, si medium sufficiens, quod habet, non praebet.

Ad 2º. R. N. M. Sicut enim ratio voluntarii positivi circa aliquod objectum immediatum non salvatur per id, quod non sit involuntarium aut non prohibetur; sic nec ratio serie voluntatis circa objectum mediatum seu finem salvatur per hoc, quod mediorum sufficientia non sit involuntaria,

aut non prohibeatur; præsertim si ista sufficientia non possit nisi ab intende
niente finem provenire, ut hic accidit.

Ad 3^{um}. R. N. A. Voluntas enim salvandi omnes in Deo est, etiam suppo
sito peccato originali et post amissam justitiam originalem; ergo intentio
seria salutis etiam in statu posteriore sufficientiam mediorum requirit. Præ
terea si hoc sufficeret pro parvulis, satis etiam foret pro adultis; et hinc in
statu naturæ lapsæ ad peccatum sufficeret illa libertas, quæ fuit in Adamo;
quod tamen in propositionibus Baianis est damnatum.

201. Dico III. Voluntas Dei salvandi parvulos et iis applicandi baptismum,
minus recte dicitur dependere tantum a causis naturalibus et necessariis.

Prob. Nequit dici in Deo seria esse voluntas salvandi parvulos et iis appli
candi baptismum, si simul dicatur stare per ipsum Deum, quominus parvuli
salventur iisque applicetur baptismus: sed hoc simul asseritur, cum dicitor
ea voluntas tantum dependere a *causis naturalibus et necessariis*; tum quia
unice a Deo dependet sic vel aliter disponere causas; unde Aug. L. de don.
persev. c. 42. n. 31. ait: *Aut res humanas in parvulis non divina provi
dencia, sed fortuitis aji casibus opinabimur..... quandoquidem nec passer
cadit in terram sine voluntate Patris nostri, qui in caelis est?* tum quia, si
Deus hic unice attenderet causas naturales, v. g. terræ motum, quo infantes
et adulti pereunt, quasi diceret: *volo his infantibus salutem et applicatio
nem baptismi, nisi tamen obstet terræ motus; ego tamen volo fieri terræ
motum: quod ipsum est, ac si diceret: volo, si non volo oppositum;* ergo.

Conf. Non diceretur satis provisum esse *adultis*, si obstareret ordo causa
rum naturalium, quominus illis possit dari gratia sufficiens, aut quominus
hæc daret vires relative sufficietes ad superandam coneupiscentiam hic et
nunc prementem; ergo nec sufficienter provisum foret *infantibus*, si obstar
ret idem ordo quominus possit applicari baptismus; ergo sicut voluntas salutis
circa adultos non dicitur dependere tantum a *causis naturalibus*, sic nec
voluntas salvandi parvulos.

202. Nec dicas 1º. Deus ex seria voluntate salvandi omnes parvulos non
tenetur nisi ad implendum munus *provisoris generalis*: sed provisor gene
ralis non tenetur dare sufficientiam cuilibet particulari, sed potest permit
tere defectum in aliquo particulari ne impediatur bonum totius; ut docet
S. Th. p. 1. q. 22. a. 2. ad 2.; ergo. **2º.** Provisor generalis urbis non tene
tur nisi ad providendum ammonam, ex qua cives possint assumere, nisi
ipsis occurrat aliquod impedimentum; et in hoc easu non tenetur cavere
particulare impedimentum hujus vel illius civis: **imo** illius affectui sincero
alendi omnes non præjudicat quod aliquem propter ejus sceleram damnet
ad pereundum fame; ergo idem pariter dici potest de voluntate Dei sal
vandi omnes. **3º.** Si intentioni serie salvandi omnes obstareret quod ita
disposuerit cursum causarum secundarum, ut nulla humana diligentia vel
proxime vel remote possit baptismus applicari; ergo Deus vi illius inten
tionis se obligasset ad patranda miracula: hoc asseritur sine fundamento;
ergo.

R. Ad 1^{um}. D. M. Non tenetur nisi ad implendum munus provisoris gene
ralis qualiscumque *N.* provisoris generalis serio salutem cuiuslibet etiam in

particulari intendentis et hunc finem bono totius præferentis *C.* Deus autem
imprimis non est provisor generalis *qualiscumque* in ordine ad parvulorum
salutem, sed talis ut sincere velit distincte ac individualiter quilibet
salvari, perinde ac si vellet illum solum: deinde salus hominis particularis
non est subordinata bono hujus universi, sicut bonum *naturale* cujusecum
que creaturæ particularis; sed etiam communè bonum hujus universi utpote
naturale saluti hominis tanquam *supernaturali* subordinatur: unde patet
quare in prævidentia naturali possit permitti defectus creature particularis,
non vero in prævidentia supernaturali defectus aliquis ex bono causarum
naturalium obtinendo resiliens.

Ad 2^{um}. R. Quoad 4^{am}. p. Disparitas est, quia provisor generalis urbis nec
tam sincero affectu alimentationem cuiuslibet in particulari curat, nec in
ipsius uno arbitrio stat quod quilibet civis pervenire possit ad alimenta
capienda. *Quoad 2^{am}. p. R.* Vel illa provisoris voluntas alendi cives est ante
cedens ad delictum illius hominis, vel est consequens. *Si primum*, civis in
libertate non committendi delictum habet sufficientiam ad capiendam alimo
niam: si *secundum*, voluntas provisoris ad illum non extenditur distincte ac
individualiter. Cæterum (præterquam quod argumentum hoc nimium pro
sententia hic contraria assumat, et retorqueri etiam possit translatum ad
adultos) ex allato exemplo potius confirmatur nostra assertio. Finge enim
cives aliquos esse in carcere sub provisoris potestate, ita ut nemo, nisi ipse
provisor per suos ministros, possit ad eos deferre alimenta: hoc supposito,
si provisor ex certa scientia ministros alii negotiis, quamvis prevalentibus,
ita distrahat, ut ipsis non sit facultas deferendi alimenta ad illos cives;
certe intelligetur quod is non habeat seriam voluntatem illos alendi, sed ad
summum simplicem displicantiam de illorum penuria. Similiter parvuli
peccato originali velut capti, sunt sub potestate solius Dei, ita ut nemo, nisi
ipse Deus vel per seipsum vel mediabitibus causis naturalibus, queat illis
conferre opportunitatem suscipiendi baptismi: itaque si et Deus ita ad alios
fines dirigat causas naturales, ut istæ non permittant applicationem ba
ptismi, v. g. quia inducunt mortem parvuli in utero materno independenter
ab ulla alia libertate, recte etiam dicetur Deum serio non velle remedium
et salutem parvuli.

Ad 3^{um}. R. 1º. N. M. tum quia Deus ab æterno prævidens bonum usum
voluntatis alienæ potuit causas naturales ita ordinare, ut nullum miraculum
sit necessarium: tum quia, ubi opus esset aliquam violentiam inferre causis
naturalibus, non diceretur *proprie* miraculum; quia esset debitum communi
providentiae supernaturali.

R. 2º. N. min. tum ex data modo posteriore ratione: tum ex exemplo
adulti per vires gratiæ facientis quod in se est, cui etiam extraordinarie vel
per miraculum providendum a Deo de notitia ad finem necessaria, commu
nius censem Theologi.

203. Dico IV. Probabiliter dici potest quod Deus parvulis serio intendat
salutem et applicationem baptismi, dependenter a *causis liberis* seu volunta
te aliena, maxime parentum eorumque, ad quos pertinet parvulorum cura,
ut præsertim per orationem illorum saluti consulant.

Prob. 1º. p. 4º. ex prioribus assertis alias sententias rejiciuntibus: **2º.** quia